

*Q. F. F. Q. S.*

CHARACTER

# SEDITIONIS CIVIS,

Dissert. Academ. leviter adumbratus,  
CUJUS PARTEM PRIOREM,

Suffragante Ampliss. Ordine Philo-  
sophico in Regio ad Auram Lyceo,

Ductu & moderamine

CLARISSIMI VIRI

# Mag. LAURENTII ALSTRIN,

Eloq. Roman. Profess. Publ. & Ordin.

Publ. Bonorum Disquisitioni,

Ad d. ipsi. Calend. Apr. A:O MDCCXXVI.

in Audit. Maximo,

Horis ante merid. Svetis,

Modestia, qua par est, subjicit

# NICOLAUS LJUNGMAN,

Smolandus.

---

ABOÆ Exc. Er. Flodstrom, Reg. Acad. Typogr.

S:Æ R:Æ M:ÆS  
MAGNÆ FIDEI VIRO,

REVERENDISSIMO  
PATRI AC DOMINO,

DN. DAVIDI  
LUND,

S. S. Theologiae Doctori EXCELLENTISSIMO, inclutæ Diœceseos Wexionensis Epitcopo EMINENTISSIMO, Sy-  
nedri ibidem Ecclesiastici Præsidi GRAVISSIMO, Gymnasiorum, Scho-  
larumque per Diœcesin Ephoro ADCURATISSIMO,

MÆCENATI MAXIMO.

A N in conspectum Tuum, PATER  
REVERENDISSIME, rudibus hisce  
pagellis, omni prorsus ornatu destitutis,  
PRO-

QUEM orbis celebrat literatus,  
Aboa sibi gratulatur antistitem,  
Et Fennonia sibi decus,  
**REVERENDISSIMO in CHRISTO-**  
**PATRI AC DOMINO,**  
**DN. HERMANNO**  
**WITTE,**

S. S. Theologiæ Doctori EXCELLEN-  
TISSIMO, Dœceles Aboënsis Epi-  
scopo EMINENTISSIMO, Regiæ ibidem  
Academiæ Pro-Cancellario MAGNIFI-  
CENTISSIMO, Venerandique Con-  
fistorii Ecclesiastici Præsidi  
GRAVISSIMO,

MÆCENATI MAXIMO.

**Q**uum magnos nonnisi magna  
deceant, anicipibus diu cogitatio-  
nibus fluctuavit animus meus, cone audaciz  
miki

prodire mihi licet, merito dubitarem,  
nisi gratia & favor, quo beneficentissima  
Domus TUA Parentes meos, meque sem-  
per amplexa est, dubitanti adderet ani-  
mum. A qd; quidem, ut nunc nihil dicam  
de Paterna domo, quæ, TUAM gratiam  
abunde experta, numquam non ideo eam hu-  
millime veneratur; sola illa in me collata  
TUA beneficia, tanta sunt, ut illis enar-  
randis, ne dicam exornandis, neq; pagellæ  
angustia, neque difficultis mea Svada, ul-  
la ratione sufficere queant. Fateor quidem,  
per quam exiguum esse hoc munusculum, si  
cum magnitudine TUA, REVERENDIS-  
SIME PATER, comparetur, quæ merito  
fane & optimo jure nil, nisi magnum, egre-  
gium atque excellens admittere posset: Ce-  
terum, spero TE, si non rem consecratam,  
saltrem animum humillime consecrantis plas-  
cida, ut soles, fronte respectorum. Sine  
igitur, PATER REVERENDISSIME, esse  
hoc, qualemque demum, certissimum  
peccato-

mihi progredi liceret, ut leve hocce charta-  
cium munus, TIBI etiam, PATER RE-  
VERENDISSIME, submissa mente offerre  
sustinerem. Verum, quo incompuor  
mea, omni destituta nitore, in publicum pro-  
dit difficilis Minerva, fati durioris timida;  
hoc magis indiga est Summorum Patroci-  
nii Vitorum. Id vero aliunde, nec querit  
potius, nec tutius sperat, quam a TE, REVE-  
RENDISSIME PATER; cuius & fortuna  
amplissima potest, & virtus perfectissima  
vult servare quam plurimos. Proinde, non  
mirum TIBI, humillime rogo, obveniat,  
quod hasce studiorum primitias, in venera-  
bundæ mentis testificationem, TIBI etiam  
conse ratas esse cupiam, et siamq; nullo suo  
decore commendabiles sint: namque enim  
spero nihilominus, ab offerentis falso pie-  
tate & devoto animo, pretium aliquod eas ha-  
bituras; maxime quidem apud TE, REVE-  
RENDISSIME PATER, cuius bonitas a-  
nimæ, generositasque maxima, dudum longe  
lateque cognita est. Gratia enim ac bene-  
volentia, qua omnes complectentur literarum  
indefessos cultores, atque in iis, Nationem  
nostram Smolandicam, quæ feliciter sub um-  
bone quodammodo TUO, heic loci, Musæ  
rum militat in castris, tanta est, ut de MÆ-  
CENATE ac PROMOTORE MAXIMO,  
BENIGNISSIMO, numquam satis Musæ  
Aboenses gratulari sibi posse videantur.

Quod

pectoris venerabundi, piissimumque documen-  
tum. De cetero, Summum & Immorta-  
le Numen, calidissimis defatigabo suspiriis,  
ut grandi, quam TIBI concessit, ætati, pro-  
speram semper addat valetudinem, eandemq;  
omnigena felicitate ornata.

REVERENDISSIMI  
NOMINIS IUI

*Humilissimus cultor & cliens*

NICOLAUS LJUNGMAN.

Quod igitur, ut reliquorum, ita & meum  
est, TUAM ego, REVERENDISSIME PA-  
TER EPISCOPE, TUÆq; NOBILISSIMÆ  
FAMILIÆ prosperitatem omnigenam, affi-  
duis votis, crebrisque suspiriis, apud DEUM,  
beneficiorum Remuneratorem Optimum  
Maximum, summa, qua par est, animi  
devotione habebo commendatissimam.

## REVERENDISSIMI NOMINIS TUI

*Humilissimus cultor & cliens  
NICOLAUS LJUNGMAN.*

Wälborne Herrnen och Adressoren  
Uti  
Kongl. Åbo Håfråtten/  
Herr JONAS LÖ.  
STJERNAN /  
Min gunstige Herre.

**H**aft ej guld uhr Bergen slyter  
Uti Finland / doch ej tryster  
T het man högre skatta bör/  
Edla slögder/ Edelt sinne/  
Digert wett bor och ther inne  
Och med mången tråha tör.

**E**jj här finnes Män/ som stifta  
Lag och Rätt/ T be rätt utstifta  
Frid och ro uti hwart stånd;

S. 8.

Sådan stått och dyra gåfvor /  
Äro mer än alla häfwar  
Här i detta Finsta Land.

Ta min Clio här nu wissa  
Och thens gunst här allmånt prisa /  
För ther mycta som tu fått;  
Hvilken/ när på Finsta stranden  
Du först steg/ tig räckte handen /  
Och sen gjordt tig mycket godt.

Vara therför lyckan blida  
Nu och stedse på Er sida /  
Lågre sig kring om Er boo;  
Alt hwad I här sielwa önska /  
Hos Er mer och mera grönsta/  
Er til nöje frögd och roo.

Bålborne Herr Adsefforens

Tjenahörsamste  
Tjenare  
N. LJUNGMAN.

Generoso ac Nobilissimo DOMINO  
Dn. OTTONI FRIDERICO  
**Stålhammar /**

Militiae pedestris Cronoburgensis Ca-  
pitaneo maxime strenuo,  
PATRONO MUSARUM BENIGNO,

**O**b summum favorem, quo clientem  
prosequi dignatus est, tenuem hunc in-  
genii sui partum, venerabunda mente of-  
fert & consecrat,

Generosi ac Nobilissimi  
Domini Capitanei

*Cultor observantissimus*  
N. LJUNGMAN.

Admod. Rever. & Praclarissimo DOMINO,  
Mag. ANDREÆ LJUNGMAN,  
Ecclesiarum Hultsiöensium Pastori  
Dignissimo, nec non Districtus adja-  
centis Præposito Adcuratissimo, Pa-  
renti Optimo, summa pietate ad  
cineres usq; colendo.

Itemque

Admodum Reberendis, Praetlarissimisq;  
VIRIS,

In Regio Gymnasio Wexionensi  
LECTORIBUS  
& Consistorii ADSESSORIEBUS  
Dignissimis, & quissimis,

Partimq; ADFINIBUS meis Carissimis,  
ut quondam Præceptoribus fidelissi-  
mis; ita & nunc Promotoribus Certissi-  
mis, reverenter & officiose  
colendis, honorandis,

Pagellas hæcce, argumenti tantum-  
modo nobilitate commendabiles, Pa-  
rens Dulcissime, Adfines & Lectores  
carissimi, & stumatissimi, in grati er-  
ga Vos animi testificationem, nec  
non

non ulterioris benivolentiae ac pro-  
motionis spem , cum devotissima  
omnigenæ felicitatis vestræ adpre-  
cione , observanter & perquam  
officiole dedicat & offert,

PARENTIS OPTIMI,  
*ADMODUMq; REVER. atq; PRÆCLAR.*  
NOMINUM VESTRORUM

Filius obedientissimus  
&  
Cultor officiosissimus  
N. LJUNGMAN.



## CAP. I.

### §. I.



# Mnium, quibus

Respublica quædam vexetur, malorum, teterri-  
mum, gravissimumque habemus sedi-  
tionem & discordiam intestinam ;  
qua pars Reipublicæ, aut contra Prin-  
cipem, aut Magistratus, violento mo-  
tu insurgit (4) : Quam enim cœle-  
ste bonum Concordia, & reipublicæ,  
& toti generi humano salutaris est;  
tam discordia sive seditio, inferna-  
le monstrum, funesta. Quam illa  
continet, firmat, roboret ; tam hæc  
dissipat, debilitat, frangit. Quemad-  
modum omnia, per illam conjun-

ta, convalescant; reddunturque inconcussa; ita per hanc cuncta, quamlibet valida, facile infirmantur, deturbantur & evertuntur. Quemadmodum contra concordiam, nulla infidiae sunt opportune, nulla calliditas Iazis-callida, nulla vis satis valida; &c. (b) ita nulla civitas tantis opibus floret, nullæ tantæ copiæ regnum propagnant, quas discordia non convellat. Decius igitur, Trib. Plebis, (aliis Lucius) coortam inter plebem & patricios discordiam extinguere cupiens, Senatores Romanos his compellare verbis non veritus est: *Si quis vos interroget, que sit maxima civitatum calamitas, & perniciem afferens esse errimam;* nonne responderetis *Discordia est mihi certe sic videtur (c).* Cujus sermonem, exemplo opulentissimæ validissimæque civitatis Numantiae, illustravit ille Celtarum Princeps, qui Scipioni, deleta Numantia, interroganti, qua de causa res Nu-

mantina invicta ante stetisset, tunc autem everla esset, respondit: *Concordia invicta: Discordia exitio fuit* (d). Luculentissimum vero de seditione testimonium, quam illa civitatibus, unicunque magnis & validis, exitio sic certissimo, exinde dabimus, quod Romanam Rempubl. omn um, quotquot orbis vidit, validissimam, maximeque formidabilem, cetero-quin æternam futuram, sed sola tam- men seditione & discordia intestina everti posse, ipsi ejus æratis populi senserint atque gavisi sint. In-signis prorsus & notatu dignissimus hac de re locus est Livii (e), ubi in spei ventum fusse dicitur, *discordia intestina dissolvi rem Romanam posse*, Principesque in omnium Etruriæ populorum conciliis tremu- fe: *æternas opes futuras Romanas*, nisi inter semet ipsos SEDITIONIBUS favirent: ID UNUM VENENUM, EAM LABEM CIVITATIBUS OPULENTIS RE- PERTAM, UT MAGNA IMPERIA MOR-TALIA ESSENT. Namque enim fusse

& fore seditiones populis pluribus  
*magis exitio, quam bella fuere externa,*  
*quam fames morbive, quaque alia in*  
*Deum iras, velut ultima publicorum ma-*  
*lorum, vertunt; graviter alibi conten-*  
*dit idem Historicorum princeps (f).*  
 Iccirco, sedino ultimum est malo-  
 rum, quod **hostis** hosti imprecari  
 possit; uti ex Imperat. Othonis ser-  
 mone patet apud Tacit. Neque  
 adeo mirum, cum sint seditioni

*nominis mille:*

*Mille nocendi artes.* Virg. Æn. 7.

Ita enim se res haber, quemadmo-  
 dum Cicero aliquando dixisse fer-  
 tur in Senatu: *Ubi cives seditiones*  
*mouere inceperunt, - - necessario*  
*calamitates, quasi orbe quadam, semper*  
*revolvuntur, continentique successione ma-*  
*la malis redduntur (g).* Quod luculen-  
 tius etiam, longe ante affirmaverat  
 Thucydides, dicendo:

*Ἐν τάσι πᾶντα εἰδέα κανεὶς ἐστι.*

„Quia igitur infinita civitatibus mala  
 „in flagitio sedicio, sub dira Typhonis  
 „effigie illam repræsentarunt poëtæ:

In

„In qua centum capite, ob divisa  
 „potestates: ora inflammantia, ob  
 „incendia: angvium cingula, ob pe-  
 „stilentias: manus ferreæ, ob cæ-  
 „des: ungues aquilini, ob rapinas:  
 „corpus plumbis coniectum, ob per-  
 „petuos rumores, & nuncios, & tre-  
 „pidationes, & ejusmodi (h).

- (a) *Conf. Ad. Centzen. Polit. I. 9. c. 2.* &  
*Lapl. Pol. I. c. c. 4 f. 1.* (b) *Min. not.*  
*ad Sall. B. Iug. & Or. Mich.* (c) *Dyon.*  
*Halic. I. 7 p. m. 238.* (d) *Orosi I. 5. c. 8.*  
(e) *Liv. I. 2 c. 44.* (f) *Liv. I. 4. c. 9.*  
(g) *Dyon I. 44.* (h) *Fr. Bac. de Perul.*  
*San Vet. Fab. II. citat. a Reinhard. in*  
*Theatr. Prud. Eleg. p. 1796.*

## §. II.

**Q**uo nocentior Sedirio, eo magis an-  
 tevertenda, et, si fieri possit, ex-  
 cludenda est; vel saltem, quem in-  
 fausto sidere exarserit, omni ope  
 & nisu coercenda atque restinguen-  
 da. Cum enim semel radices egerit ma-  
 litia, & intraverit; sicut coalita egr-

tudo, difficilis est extingui (a). Sive, ut hoc idem vena copiosiori exhibuit P. Berthius: *Parva*, ait, *omnia & surgentia paullum, magnos, vehementesque impetus non sustinent. Sim diffici, & malum vires suæ serie, vereor, ne, cum velim us adhibere incendio remedia, non possimus.* Gisit enim indies latibus, fortior sit atque robustior, nihil ut magna esse nobis timendum videatur, quam mors (b). Proinde, ut etiam Seditionis radices initio læpenumero lateant, serpent vero indies latius, eousque, ut nisi extirpentur, ingenti erumpant vi, totasque Respubl. vel evertant funditus, vel summum in discrimen adducant; non minima pars prudentiæ civilis est, nosse earum origines, progressus, evellens dique & delendi remedia. Hæc vero cuncta rite pernosci nequaquam possunt, nisi etiam indoles & natura seditionorum capitum pariter innotescant. Merito enim arcatum quodam sapientiæ habita tuit, habendaque est, animorum nouitia. Atque ut

ut in rebus omnibus, ad eventus prævidendos, totamque ordinandam vitam, apprime utile est, studia & propensiones animorum variorum, exempli gratia inflati, avari, obtrectatoris, curiosi &c. omnemque illorum naturam notam sibi reddere atq[ue] perlpectam; ita quoque in iis, quæ ad Rem publicam pertinent, ad interiora negotiorū ille optime penetrabit, qui non gesta modo & eventus perpendat, sed in primis caussas eorum quæ maximam partem in indole & ingenio hominum vario consistunt, indageret diligenter atque rimetur. Crediderim itaque, non inanem in literis collocaturum operam, qui ex scriptorib[us] historiarum, & ci-  
viliſ prudentiæ Doctoribus, variorum ideas animorum sibi conficiat, & apud animum rite proponat. Mihi, cui, præter reliquias literas bonas, cum Historiarum, tum Prudentiæ civilis studium magnopere arrisit, quamquam per ætatem, tenuitatemque ingenii, vix primis delibare la-bris utriusque dulcedinem adhuc

hicuit; volupē tamē fuit, ex ea-  
rundem Magistris literarum ea col-  
ligere, quæ animū & molitiones  
demonstrant SEDITIOSI. Hujus i-  
gitur characterem, levi penicillo ad-  
umbratum, cum Tibi jam, B. L.,  
sisto; Tuum favorem abtestor, di-  
gneris innoxiis hisce conatibus cen-  
suram præbere mihiorem.

(a) *Joann. Stob. Serm. 44.*

(b) *In Epist. Leon. Pag. 18.*

## CAP. II.

### §. I.

Fateor quidem, manus suas mate-  
riæ cuidam tractandæ admoven-  
tibus, familiarem in primis esse mo-  
rem, ut natales vocum, quas frons  
gerit dissertationum, ante omnia mul-  
tis exponant: ceterum, cum in ap-  
posito titulo, quidquid hujus est ge-  
neris, cuivis constare, perivasum  
mihi habeam; ad ipsum argumen-  
tum tractationis nostræ me protinus  
acci-

accingo. Est igitur Seditiosus ci-  
vis ille, qui, quocunque animo, &  
quacunque ratione, turbas in ci-  
vitate movet, sive aliquid no-  
vi molitur contra leges & jura ci-  
vitalis, fidemque & officia ipsi de-  
bita. Proinde, inquietus civis, tur-  
bulentus, incivilis, turbidus, factio-  
sus, Seditiosus, pari nobis hec pas-  
tu ambulant. Quocunque autem ap-  
pelletur nomine, pestis ille est Reipubl.  
exitiosa ( quod quoque ex malis se-  
ditionis, supra memoratis, patet )  
& non civitatis modo, sed totius  
quodammodo humanitatis hostis;  
quippe quod concordiam hominum  
turbet ac tollat, atque sic ab ami-  
ca societate, ad quam natura homi-  
nem genuit, maxime abhorreat.  
Hujus expressam ut Tibi, B. L, ex-  
hibeam imaginem; primum quali-  
fit animo, mente & cogitatione, ex-  
ponam; deinde, quomodo se ipsius  
habeant sermones; tum, quomodo  
scelestæ ipsius reliquæ compararæ  
sint actiones & nefanda molimi-  
na.

## §. II.

En igitur animum & cogitationes seditiosi !

**P**rimum a præsenti statu, utcunq; felici, fastidio quodam & satietate abalienatur. Id in optimo nonnunquam Reipublicæ Romanae statu, sub Octavio Augusto, evenisse constat. Illum felicissimum statum delcriptum „legimus apud Vellejum : qui nihil, „inquit, optare a Dñs homines, ni- „hil Deos hominibus præstare potu- „se, nihil voto concipi, nihil felici- „tate consummari ; quod non Au- „gustus, post redditum in urbem, rei- „publicæ, populoque Romano, ter- „rarumque orbi repræsentaverit (a). Nihilominus tamen Seditiosi tunc temporis inventi sunt L. Murena & Fannius Cæpio, qui felicissimum illum statum odissent, ut ipse Vellejus ha- bet (b).

Deinde, modicis et jam honoribus, statui reipublicæ tolerandis, non contentus, immoderatis animi sui mo-

moribus ad majora semper<sup>et</sup> adspicrat; nec non claritudinem sibi nominis, inusitati aliquibus facinoris celebritate, conciliare studet: quod in Tiberio & Cajo Graecchis observatum legimus (c). Ad unum enim evectus dignitatis gradum, si, adspirante fortuna, res ex voto fluant, maiores animi sumit spiritus, seque magis magisque inani mentis adfectu effert. Instar ejusmodi seditionis exhibet Vellejus in L. Corn. Sulla (d).

(a) *Vell.* l. 2. c. 89. (b) *Idem* l. 2. c. 91.

(c) *Plut. Vit. Paral.* T. 3. p. m. 192.

(d) *Vell.* l. 2. c. 17.

### §. III.

**O**MNES ITAQUE HONORES & DIGNITATES IMMODERATE SECTATUR: quemadmodum de C<sup>e</sup>jo Mario legimus apud Vellejum (a), de quo exstat, quod omnia imperia & omnes provincias concupiverit. Quid, quod ipsi Regio fastigio inhicit; ut idem quon-

quondam comparare sibi studuit C. Gracchus, qui fratrem suum Tiberium Regalis potentiae assumpsit socium, ut apud Vell. annotatum legimus (*b*). Hinc igitur Cn. illi Pompejo similis, non modo superioribus invidet, juratusque quasi hostis est; sed indignatur quoque, quemquam aequalem dignitate conspicere. Accedit enim saepenumero, ut minima concupiscat leditiosus, ob animi sorbitiem; nec satietur maximis, ob insatiabilem cupiditatem (*c*). Quam ob rem, nullam animo habet quietem: omnia sibi putat tentanda: maximos aulus fortis habens animi, cessationem vero ab illis, ignavi: quemadmodum & ceteras bonas artes, probitatem, contentum animum, prudentiam, continentiam, &c. si obsint ipsius conaribus, falsis stultitiae, socordiae, timiditatis, effeminitateque naturae nominibus appellat.

(*a*) *Vell. l. 2. c. 18. §. 6.* (*b*) *Vell. l. 2. c. 6. §. 4.* (*c*) *Bæcl. Char. Pol. cap. 5.*

## CAP. III.

## §. I.

Demonstrato jam breviter animo seditiosi, sequitur, ut quomodo sermones ejus comparati sint, & que simplici stilo persequar. Inprimis itaque artem simulandi & dissimulandi exercet seditiosus. *Falsus* fit; *aliud clausum in pectore, aliud promptum in lingua habet*; amicitias, inimicitiias *non ex re, sed ex commodo estimat*; magisque *vultum, quam ingenium bonum habet* (*a*).

Huc pertinet etiam ars illa verborum lenociniis res fucandi: quampe bonum, aut melius, aut vi- lius; malum vero, aut pejus, aut le- vius; aut utrumque diversa plane facie, quam revera est, repræsentet. Vera namque belli & Seditionis tuba malitiosi hominis lingua est. *Bona enim ac mala, non sua natura, sed seditionis vocibus estimantur* (*b*). Idque proper fallos, quos præferunt rebus, titulos: dum ex. gr: Severita- tem

tem aliorum, Sævitiae; parcimoniam  
avaritiae; bonam morum disciplinam  
contumeliarum & suppliciorum no-  
mine appellant: suis v. molitionis-  
bus colorem, nescio quem, inducunt;  
bellum civile, libertatis vocando de-  
fensionem: et sic in aliis. Menda-  
cia igitur, calumniæ, perjuria, Se-  
ditiosi linguæ familiaria omnino sunt  
arque propria (c).

(a) *Sall. B. Catil.* c. 10. (b) *Tac. Hist.* l. 4.  
c. 73. (c) *Confer. Bæcl. Char. Polit.*  
*Cap. 5.*

## §. II.

**T**alis acerrimus instigator belli e-  
rat Tullius ille Valentinus apud  
, Tacit: Is, meditata oratione, cun-  
,cta, magnis imperiis objectari so-  
,lita, contumeliasque & invidiam in  
,populum Romanum effudit; turbi-  
,dus mitcendis seditionibus, & ple-  
,risque gratus vecordi facundia (s).

Talis C. ille Curio Trib. plebis apud  
Vell. qui seditiona sua  
bel-

bello civili subjecit facem (b).

Tales quoque improbi sunt concionatores, qui deteriorem in partem traducunt atque lugillant Magistratus, dum, vel Seditiosa vocitratione in Republicæ administratores, vel querelis & ambiguis de principe sermonibus, vel quibusvis suis vulgi turbamentis (c), imprimis religionis praetextu, haud leviter ad turbas pleberum cident; quippe quæ, incredibile quantum, ex illorum ore pendeat. Eadem enim plebs, impotens, sæva, mutabilis, ubi usus Religione capta est, melius suis Sacerdotibus paret, quem Ducibus Regibusque (d). Ita Perkinus quidam, favorem Anglorum prenslasse dicitur, invectivis in Regem & regimen ejus, sermonibus. Et precipua, inquit Thuanus, concionatorum intemperies fuit, qui convicerum plausra in Regem emoverebat; discenda, tacenda, blaterantes; tyrannum, hypocritam, perfidum, crudelēm vocantes (e).

(a) Tac. Hist. l. 4. c. 68. (b) Vell. l. 2. c. 48.

(c) Tac. Hist. l. 1. c. 23. (d) Reinhart. Theat. Prud. p. 1802. (e) Id. cit. l. p. 1807.

## §. III.

**H**lac voce sua, ad populi captandum auram, callide utitur seditiosus; Comis, affabilis & blandus, libertatem, immunitatem, nova teca, aureosque quasi montes pollicetur, & nescio quibus pulchris, speciosisque vocabulis, in vulgus consilia sua (dicerem flagitia) venditat. Ita se populares, blanda facundia, & læris plebi promissionibus, in republica Romana ostenderunt longe plurimi; inter quos ambo Gracchi fratres, Sulpicius, Marius, Cinna, Sulla, ipse etiam Julius Cæsar, aliquique. Et sapienter quidem ab eruditis notatum est: centum circiter annis, cum in aliis rebus varie, tum in eo præcipue a populo Romano erratum esse, quod lenociniis seduci se passi sint facundorum; sed ambitionis ingenia, quæ sub illo blandi sermonis tegumento latebant, non attenderint. Gracchos quidem, perniciosis eorum molitionibus cognitis, occidisse; sed tot superstitibus, post Gracchos in urbe,

Grac-

Gracchanis ingeniis, non ivisse ob-  
viam: Neque ab initio satis Mario,  
neque, post illum, ejusdem indolis  
Sullæ, nec deniq; huic, verissime præ-  
dicenti, *Cesari* multos inesse Marios,  
credidisse, reique publicæ, pro in-  
dole & conatibus Viri, prudenter  
consuluisse(a).

(a) *Conf. Bæcl. Chær. Pol.*

#### §. IV

**L**uculentissimum captandæ plebis  
gratiæ exemplum, blandis fer-  
monibus, promissionibusque, sacra  
nobis in Absalone dat pagina. Quæ  
multis narrat, quanta ille comitate  
& affabilitate, animos sibi populi  
demereri studuerit: quomodo, cum  
quispiam eum supplex adiret, ipse  
eum humanissime ad se adtraheret  
atque oscularetur, blandissime ita di-  
cendo: caussa tua bona & justa;  
sed non est, qui te audiat, constitu-  
tus a rege, qui possit & velit be-  
ne eo munere fungi. Quis me con-

stituat judicem super terram, ut ad me veniant omnes, qui habeant negotium, & justum judicem s. Porro, quomodo bene mane conlungeret, staretque ad introitum portæ Regiæ, omnemque virum, eo venientem, ut causa ipsius in judicio regis ageretur, vocaret ad se; scilicet, ut ostenderet, omnium legerere curam, omnibus benivolum, omnibusque beneficium esse velle (a). Vid. plura 2 Sam. 15.

(a) Reinh. cit. l. ex Jac. Saliani Epit. Annal. Vet. Test.

## CAP. IV.

### §. I.

**R**equirit nunc instituti ratio, & fides B. L. data, ut tertium quoquia in SEDITIOSO CIVE exponamus: quomodo nimirum scelestæ ipsius reliquæ comparatæ sint actiones & nefanda molimina. Verum, quando-

doquidem ratione circumstantiarum, personæ, temporis, loci &c. infinita illorum dari potest varietas; non nisi generalia perstringere duntaxat, & quasi per transennam adspicere licet. In univerlum quidem hoc tendendum: nulla seditionum esse fide; verum ex proprio usu omnia agere, atque temporibus infidicari; quemadmodum de Cn. Pompejo, magni Patre, referrit Vell. Deinde, pleraque clam, maxime in initio, agere; nonnulla deinceps magis palam & aperte. Clam, cujusvis generis homines sibi variis conciliat artibus, & ad usus suos adjungit. Imperitos itaque imprimis aggreditur & impellit animos; aut levissimum quenque, & futuri improvidum, spe versa cuntem (a). Cujus ingenii, cum possimum esse soleant adolescentes, illos, præ aliis, varia allicit arte; ad exemplum Catilinæ, de quo apertis verbis Sallustius: Sed maxime adolescentium familiaritates adpetebat: eorum animi, molles & æpar-

" te fluxi, dolis haud difficulter capie-  
 " bantur: nam, uti cuiusque studium  
 " ex aetate flagrabat, aliis scorta prae-  
 " bere, aliis canes atque equos mercari;  
 " postremo, inquam sumptui, neque mo-  
 " destiae suae parcere, dum illos ob-  
 " noxios fidosque sibi faceret (*b*).

(a) Tacit. Hist. I. 88.

(b) Sall. Bell. Cat. 14.

## §. II.

Porro, pressam egestate plebeca  
 oblinire admittitur muneribus:  
 obsecratos pecunia juvat: Servos, pro-  
 posita libertate; exsules damnatosque, im-  
 punitatis spe; peregrinos, cibitatem promis-  
 sione, confitis suis adjungit (*a*). Cla-  
 rum hujus rei exemplum praebuere  
 partim Tib. & Caius Gracchi, tra-  
 tres, partim Catilina, partim Ortho  
 antequam ad imperium accessit (*b*).  
 Prater hos iam dictos homines, de-  
 territum quemque sibi aggregat sedi-  
 tiosus; omnes itaque flagitiosos,  
 pro-

propter facinora perpetrata, saluti, rebusq; omnibus desperantes, illicet; quorum enim animus, longa conseruudine ad temeraria & atrocia quævis dudum occuluerit, illis maxime delectatur. Quam enim non sine horrore, hæc de Catilinæ sociis relata legimus? Quicunque im-  
 pudicus, adulter, ganeo, alea,  
 manu, ventre, pene, bona patria  
 laceraverat, quiique alienum æs  
 grande conflaverat, quo flagitium  
 aut facinus redimeret; præterea o-  
 mnes undique parricidæ, sacrilegi,  
 convicti judicis, aut pro factis ju-  
 dicium timentes; ad hoc, quos ma-  
 nus, atque lingua, perjurio & lans-  
 gvine alebat: postremo, omnes,  
 quos flagitium, egestas, conscius  
 animus exagitabat: hi Catilinæ  
 proximi, familiaresq; erant (e).  
 Horum talion, hujusque farinæ a-  
 liorum, primo singulos adpellat se-  
 ditiosus; horratur alios; alios ten-  
 tar; opes, si queat, suas, impara-  
 tam Rempublicam, magna præmia

conjurationis dages. Sic Catilina;  
 En. inquit, illa, quam sapientia optatissima,  
 libertas; praterer: diutiae, decus, gloria,  
 in oculis sita sunt: fortuna ea omnia vi-  
 ,cariabim præmia posuit. d). Ubi latens ex-  
 sponata fuit, quis voluerit, in unum  
 omnes convocat; præterum quibus  
 maxima necessitudo & plurimum  
 audacie insit (e). Quanto enim quis  
 audacia promptus, tanto magna fides, re-  
 busque motu potius habetur (f). Ne-  
 turam colloquus, aut flexo in vesperam  
 die, præter varios ineundæ societa-  
 tis propositos fructus, quos supra  
 tenet, querelas inferit, & ambiguos de  
 Principe sermones, queque alia turba-  
 menta vulgi (g). Constatentes impellit,  
 trahit, objurgat: Iapetus etiam, an  
 requam coniectum fuerit negotium,  
 honores distribuit. Dehinc omnes,  
 vel corruptelarum illecebris irretiti,  
 vel rerum novarum studio pessimi,  
 vel deperditis moribus, infamia,  
 sceleribus, egestate similes, primo  
 coeunt in confessionis globum; de-  
 inde in constantiam, sive potius per-  
 fina-

tinaciam effrœnati & præcipitis furoris, multis fœle vinculis constringunt, & quasi laqueis quibusdam tælerum colligant (*b*). Caput seditionorum, seu deterrimus eorum, quisque, reliquos multis modis facinora edocet: ex illis, testes, signatoresque falsos commodare; sitem, fortunas, pericula vilia habere; post, ubi eorum famam atque pudorem attriverit, majora alia imperat (*i*).

(*a*) Boeck. *Char. Pol.* c. 5.

(*b*) vid. *Vell. Sallust.* c. 17. & *Isteit.*

(*c*) *Sall. Catili.* c. 14.

(*d*) Ex *Sall. Schonborn.* p.m. 522.

(*e*) *Sall. Cat.* 17.

(*f*) *Tacit. Annal.* I. 57.

(*g*) *Tacit. Hist.* I. 23.

(*h*) *Conf. Sall. Cat.*

(*i*) *Sall. Cat.* c. 16.

### §. III.

**C**lam hæc maxime agit seditionis;

magis deinceps palam erumpit

ejus furor & rabies. Speciosis i-  
taque nominibus, fœda sua in vul-  
gus venditat consilia. Bonum pu-  
blicum, libertatem, pietatem, &  
necio quid æqui & justi, præ te-  
fert; quod supra etiam de sermo-  
ne seditiosi tetigi. cap. III. §. 1.

Quæ adversus interfectores Cæ-  
sarialis executus est Octavius, pieta-  
ris insigniebantur titulo: suberat  
vero profunda dominandi cupido,  
uti animadvertisse prudentes (a).  
Eiusdem conjurationis & necis au-  
tores, Brutus & Cassius, facino-  
ri suo publica & speciosa nomina,  
ipiusque patriæ libertatem & pristi-  
nam regiminis formam prætexerunt;  
sed revera suam quisque ambitio-  
nem & invidiam in confilio habuit,  
cum de tanta mutatione deliberaret.  
(b) Seditiosi enim, publicum bonum simu-  
lantes, pro sua quisque potentia pugnant;  
ut testatur Sallustius: atque, ut im-  
perium everiant, libertatem preferant;  
si everterint, ipsam aggrediuntur (c).  
Scite enim non minus, ac vere, Gal-  
licus

licus scriptor Amelotus: Il en est de la liberté, comme de l' honneur des " femmes: Les ambitieux défendent " l'une, pour l' opprimer, & les amans " sauvent l' autre, pour le ravir (d). " Exemplo id sao, præter innumeros alios, comprobatum ivit ille Sandro- corrus, qui, sub specie libertatis, au- ñtor Indis fuerat occidendi, post mortem Alexandri, Præfectos ipsius, jugumq; servitatis e cervicibus excu- tiendi: Titulum vero libertatis, post victoriam in servitatem verlit; sequidens occupato regno, populum, quem ab exter- na dominatione vindicaverat, ipse servi- tio premebat (e).

(a) Reinh. p. 1809.

(b) ibid. p. 1810.

(c) Tacit. Ann. 16. 22.

(d) Dans son Tibère. chap. 91.

(e) Just. l. 15. 4.

#### §. IV.

**U**T aqua maris, torrentiumque fluviorum, ripas & cataraetas vel

vel leviter supergressa, viam sibi paullatim aperit; mox agros, vilas, totasque regiones inundat, nec nisi magno molimine coerceri potest: Sic seditionis quoque, postquam, violatis legibus publicis, pudoris fines semel transiit; in omne te genus licentiae paullatim effundit.  
*Fame factis & saxa volant;*  
*furor arma ministrat (a).*

“ Omnia jam miscet; rempubli-  
“ cam conturbat; nihil immorum,  
“ nihil tranquillum in eodem statu  
“ reliquit. Quod quiete poterat  
“ consequi, mavult per vim extor-  
“ quere, & tumultuando adipisci.  
“ Quæ semel pessime ausus est, ob-  
“ stinate pertendit: semperque pri-  
“ ora novis vincere facinoribus niti-  
“ tur: inaudita, & sine exemplo  
“ atrocia, se demum digna existi-  
“ mans. Denique incendium suum,  
“ ruina extinguere optat, mavult-  
“ que publica ruina occidere, quam  
“ sua proteri, & idem passurus, mi-  
“ nus conspici (b),

Si causa peccandi minus suppetat, innocentes, sicuti nocentes, circumvenit, jugulari: Scilicet, ne per orium corporeant manus, aut animus; gravito potius malus atque crudelis est (c). Ut paucissimis me expediam: nefanda est apud seditionem temeritas: furor indomitus: audacissima gressatio: depravatio fœda: Savitia in ipsis lapides: nulla boni publici, nulla iuris gentium, aut civitatis, nulla vel pudoris, vel honestatis, vel utilitatis publicæ ratio (d).

Quæ heic addere cogitaram de seditionum generibus, quot illa sint, & quibus in rebus differant; propter summam hujus temporis angustiam, alii, si Deo ita placuerit, occasione reservare cogor. Interim B. L.  
vale! & haec qualiacunque  
et qui bonique consule.

(a) Virg. Aenei. I.

(b) Vell. passim & Boeck. char. Pol. 5.

(c) Sall. Cat. p. 37.

(d) Reinh. in Lips. Pol. l. 6. t. 4.

Jägne - Rijm

Öfröre

Respondentens och Auctorens  
Herr NILS E JUNGENIUS  
Wackra Disputation.

Then i Dýgd och Hoken fört  
Gara fort / och slutet vinna /  
Och til rätta måhlet hinna ;  
Then med sijt sin Värdom ökt.

Han kan ock thet såkort nä :  
Han kan utan allan fahra /  
Hwad han stre'vet ejdæt försvara /  
At thet mårde fast bestå.

Wäl förthenstull Ehr / min Wånn /  
Som the frötta siéten Elefwit  
Til Parnassen, och der blefvit  
Lönt för Mådan Ehr igen.

wackra

Wackra Prosvet ligger här  
Af Chr̄t vittna wett och synne/  
Af Chr̄t sikt / Chr̄t goda synne/  
Hvar om thet nog vittne bär.

Lil ett slut af Eder steer  
Mycket Lycka / mycket trefnad /  
Såll och alla dagars lefnad /  
Jag af hertat troget ber.

Med dessa rödar be-  
sygar sin fägnad  
i största hast

J. J. Roslierna.

Dem  
Wohl- Ehrenwerten und gelehrten  
Herrn NICOLAUS LJUNGMAN,  
Philosophiæ cultori afflito  
zu seiner netten *DISPUTATION*,  
vom Charaktere seditiosi  
Civis in Republ.  
Die Er zu Abo mit grossem lob  
defendiret hat.

Er den Charakter zeigt im lehren  
und im leben  
Wie man Gott / Obrigkeit und  
jeden menschen nützt/  
Dem wird mit höchstem recht das  
zeugniß gern gegeben:  
Er hab des Reiches wohl mit wort  
und werck gesührt.  
Herr LJUNGMAN, werther freund/den  
lehr und leben zieret/  
Die Universität gibt ihm den  
schönen Ruhm/  
Und ich bezeuge es/ den er getreu an-  
führet  
Und wünsche Christen · glück zum  
lohn und eigenthum.  
NICOL. LOSTIENA.

Ad

Peregrinum & Doctissimum  
Dn. NICOL: LJUNGMANNUM,  
Eruditas lucubrationum suarum

De

SEDITIOSO CIVE  
Primitias evulgantem.

Ad consequendam Corollam Apollineam, qua quilibet assiduus Musarum cultor, pro indefessa in literarum studiis collocata opera, redimiri afferat, operosus labor, multaque industria & diligentia requiritur. Eum namq; honorem non aliud esse qui se posse speret, quam qui variis prius in publicum editis speciminiibus, bonam sibi eruditionis doctrinæq; existimationem & famam apud Doctos comparaverit. Idem Tu, Politissime Dne LIUNGMAN, elegantem Tuam de Sedentioso cive Dissertationem luci committendo, laudabiliter facere occœpisti. Industria igitur hæc Tuæ jam Tibi fores ad Apollineos illos honores felici auspicio aperit, Gratulor Tibi, cum illam felici-

felicitatem, tum ingenii Tui dotes,  
ab Immortali & Divino Numinis egre-  
gias Tibi concessas, quæ Te ad illud  
honoris culmen ascendendum inci-  
taverunt & inflammaverunt. Maest  
Tu virtute & diligentia esto; nec de  
inceptis Tuis laboribus prius desiste,  
quam Apollinem Te laurea belle &  
festive videoas coronantem. Vale!

*Simplici calamo, sed prolixiori  
animo, scripsit*

Andreas Ostierna.